

in his, quæ de Carolo Magno non satis compta sunt, & de quibus inter Scriptores necdum convenit, iudicium meum non interponere satius esse duco. Hoc unum certo affirmare possum, Carolum Magnum plures scripsisse Epistolas, & multa cum Episcoporum consensu edidisse *Capitularia* maximam partem Ecclesiastica, seu, quæ complectuntur leges de rebus, & personis Ecclesiasticis ex Canonibus Conciliorum & Decretis Summorum Pontificum excerptas. *Angelus Abbas* anno *MDCCXXVII*. *Capitularia* Caroli Magni, & Ludovici Pii collegit, & in quatuor libros distribuit, quibus postea tres libros addidit *Benedictus Levita* ex Archivii Ecclesiarum, præsertim Moguntinæ, & ex antiquis Chartularum scriniis extractos, quos integros septem *Capitularium* libros perdoctus *Baluzius* summa cura recognovit, & Notis ac Dissertationibus illustratos, in lucem edidit ann. *MDCLXXVII*. Extat etiam unum ejusdem Caroli Magni Codex Epistolaris dictus *Carolinus*, quem post Baronii mortem *Jacobus Gretserus* anno *MDCCXIII*. Ingolstadii publicavit, qui continet Epistolas, quas Romani Pontifices Gregorius III. Zacharias, Stephanus II. Paulus, Stephanus III. Hadrianus & Pseudo-Constantinus ad Carolum Majorem Domus Regiæ, ad Pipinum, & Carolum Magnum, & ad Carolomanum ejus fratrem direxerunt. Hæ omnes Summorum Pontificum Epistolæ, jussu Caroli Magni anno *MDCCXI*. collectæ sunt, & in unum corpus redactæ. Quæ collectio extracta deinde est ex antiquo MS. Bibliothecæ Casareæ, ut testatur *Lambecius* lib. 2. ejusdem Bibliothecæ cap. 5. ubi tamen conqueritur, quod ille, qui Codicem descripsit, & ad Gretserum misit, nimiam nonnullis in locis corrigendis, & mutandis sibi arrogavit licentiam. Extant etiam omnes istæ Epistolæ Codicis Carolini apud *Duchesium* Tom. III. Sed de Scriptores Ecclesiasticis, qui sæculis septimo, & octavo doctrina, & pietate præ cæteris excelluerunt, hæc dicta sufficient. (a)

(a) „ Præter has omnes editiones Codicis Carolini addenda est etiam nova altera a Cl. Muratorio promulgata *Rer. Italic. tom. III. par. II.* in quam variantes omnes tum Codicis Vaticani, cum etiam *Windobonensis* intulit. Novissime pariter audio prodidisse editionem alteram ejusdem Codicis ad *Vaticana MSS.* diligentius exactam, curante in primis *Emin. Card. Dominico Passioneo* ejusdem Bibliothecæ supremo curatore, & bono publico Ecclesiæ nato.

COLLOQUIUM VI.

De Doctrina, Disciplina, & Morali Christianorum, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt.

CUM certo sciam, Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, utpote omnino invariabilem, ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque, eandem jugiter puram, & illibatam fuisse propagatam, supervacaneum esset impræsentiarum inquirere, quænam sæculis septimo, & octavo

fuerit doctrina Ecclesiæ, nisi ad id investigandum me compelleret petulantia Hæreticorum, qui ab Ecclesiæ Catholicæ gremio cum recesserint, infrunito ore asserere solent, multa nunc in Ecclesia Catholica proponi, & teneri doctrinæ Capita, de quibus in tota retro antiquitate temporum altum est silentium, nec ullum profusum extat vestigium. Ut igitur fidei hostium audaciam facilius reprimere possim, præstat, ut in hocce Colloquio paululum differamus de doctrina, quæ sæculis Ecclesiæ septimo, & octavo apud Christianos constanter vigeat.

M. Quamvis Historia Ecclesiastica diserte ostendat, ut ait *Lanfrancus* in *Commentario de Eucharistia* adversus *Berengarium*, quod hanc fidem, quam nunc habemus, omnes fideles, qui nos præcesserunt, a præcis temporibus habuerunt; attamen non expedit, ut ea, quæ ad fidem adversus Hæreticos certis argumentis, & auctoritatibus tuendam spectant, ab Historiæ Ecclesiasticæ Scriptore data opera pertractentur, cum id oneris potissimum incumbat Theologis Polemicis, quorum inter scribendum præcipuus scopus esse debet, controversias Catholicæ inter, & Heterodoxos versantes, dirimere ac explanare. Ne igitur Officium, quod sibi vindicant Theologi Polemici, usurpare, & in alienam, ut ajunt, messensem falcem mittere videar, qui solum Historiam Ecclesiasticam compendiose describendam suscepi, non instituiam Dissertationes Polemicas, sed dumtaxat simplicem narrationem rerum, quæ a locupletissimis testibus, & probatissimæ fidei id ætatis Scriptoribus referuntur, ob oculos tuos ponam fidei Catholicæ doctrinam, quam Christiani sæculorum Ecclesiæ septimi, & octavi profitebantur; unde nullo negotio colligere poteris, omnia doctrinæ Catholicæ Capita, de quibus modo Heterodoxi cum Catholicis magno quidem, sed inanis studio altercantur, fuisse ab omnibus Christianis, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, unanimi consensu recepta atque approbata, quibus e diametro opponuntur errores, quos Hæretici hujus temporis, aut obsoletos recoxerunt, aut proprio Marte procuderunt.

In primis, certissime constat, Christianos, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, rejecisse omnes hæreses, quæ tam circa *Mysterium Sanctissimæ Trinitatis*, quam circa *Incarnationem Verbi Divini* sex prioribus Ecclesiæ sæculis emerferunt, Anathema etiam dixisse Hæresibus *Monothelitarum*, & *Iconoclastarum*, quæ sæculis septimo & octavo pullularunt, summaque, ut patet, veneratione excepisse omnes definitiones Conciliorum generalium, in quibus Hæreses proscripæ fuerunt. Hoc religiosum mentis obsequium, hæc profunda erga definitiones Ecclesiæ veneratione, quæ antiquorum Christianorum animis penitus infidebat, procul abest ab Hæreticis hujus temporis, qui prædamnatas jam Hæreses pro suo arbitrio renovant, mordicusque teneant. Nec Pontifices, nec Ecclesiam in Conciliis congregatam, nec Sanctos Patres audire volunt, sed se ipsos dumtaxat, sibi que, quod sane lepidum ac ludicrum est, & aliis promiscue suæ sectæ viris,

nee-

necnon mulierculis jus attribuunt interpretandi Scripturam Sacram, & dirimendi omnes, quæ suboriri possunt, fidei controversias. Quod certe Hæreticorum Dogma, quo nullum, mea quidem sententia, infestius & absurdus excogitari potuit, plane destruit Hierarchiam Ecclesiæ, Episcoporum potestatem ad nihilum redigit, ad schismata & innumeros errores latissimam viam aperit, & omnia sus deque miscet in Ecclesia, ut late probant nostri Polemici Theologi in suis contra Hæreticos controversiis. Sed, ut de fidei nostræ Dogmatibus, quæ ab Hæreticis nostri temporis imperuntur, speciatim aliquid dicamus, difficile non erit eorum antiquitatem & consensionem cum doctrina Christianorum, qui sæculis Ecclesiæ septimo & octavo vixerunt, breviter hic & historice demonstrare.

Negant Hæretici realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in augustissimo Eucharistiæ Sacramento, Missamque verum esse & proprie dictum Sacrificium. At Christiani, qui sæculis septimo & octavo vixerunt, eandem circa præsentiam Corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & circa Missæ Sacrificium fidem tenebant, quam nunc fidelibus credendam proponit Ecclesia Catholica (a). Observat quippe doctissimus *Mabillonius* in Præfationibus II. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, & III. sæculi Benedictini, quod est Ecclesiæ octavum, Viros pios haud paucos per hæc duo sæcula rem sacram quotidie frequentasse, seu Missam celebrasse, & eos, qui diebus festis Missarum solemnibus intererant, cibi ac potus expertes esse debuisse, ut constat ex Auctore antiquo & gravi in libro de *Vita Sancti Walarici* cap. 15. ubi hæc habet: *Duo germani erant, qui ad eum (Sanctum Walaricum) in festivitate Sancti Martini advenerunt, quibus increpando ait: admiror cur ante Missarum solemniam bibere presumpseritis. Qui consistentes commissum suum, veniam postulant, & de reliquo se se emendaturos spondent.* Cum maxima cura & singulari pietate præparatur panis, qui super Mensam Domini in Sacrificio offerri debebat, isque erat integer, nitidus, super cæteros albus, & diversus a pane usitato & communi, sicut statuitur in Concilio Toletano decimo sexto habito ann. *MDCCXIII*. Canone sexto his verbis: *Ad conventus nostri agnitionem delatum est, quod in quibusdam Hispaniarum partibus quidam Sacerdotes, non panes mundos & studio præparatos super Mensam Domini in Sacrificio offerant; sed de panibus suis visibus præparatis crustulam in rotunditatem offerant. Quod factum nequaquam in sacre auctoritatis historia gestum ostenditur. Unde id unanimi nostræ elegit conventus, ut non aliter panis in Altari Domini benedictione sanctificandus proponatur, nisi integer, & nitidus, qui ex studio fuerit præparatus, neque grande aliquid, sed modica oblata, secundum quod Ecclesiastica consuetudo retinet. Cæterum, an panis, qui sæculis septimo & octavo in Ecclesia tam Orientali, quam Occidentali offerebatur in Missæ Sacrifi-*

Graves. Hist. Tom. III.

cio, esset Azymus, an fermentatus, non convenit inter Doctores Catholicos. *Jacobus* siquidem *Sirmondus* singulari, quod edidit, de *Azymis* Opusculo, probandum suscepit, Romanam Ecclesiam non nisi aliquandiu ab obitu *Photii* Patriarchæ Constantinopolitani Azymis panibus in Missæ Sacrificio uti cœpisse, idque colligit ex silentio ejusdem *Photii*, qui cum multiplices Latinorum ritus, mores ac cæremonias maligne carperet, nullam eis propter Azyma litem moverit. At mihi multo probabilius videtur, Ecclesiam Romanam ante obitum *Photii*, qui nono sæculo Ecclesiam Græcam diro schismate a Latina divulsit, panem Azymum in Missæ Sacrificio adhibuisse. *Alcuinus* quippe, qui octavo Ecclesiæ sæculo sub Carolo Magno florebat, initio nascentis hæresis *Felicis Urgellitani*, & *Elipandi Toletani* Antistitum; hoc est, ante Synodum Francofordiensem celebratam anno *MDCCXIV*. scripsit Epistolam ad *Lugdunenses*, in qua consuetudinem improbat Hispanorum quorundam, qui sal in panem oblationis mittebant, quod, inquit, nec universa Ecclesia observat, nec Romana custodit auctoritas. Tum subinde pergit *Alcuinus*: *Tria sunt, quæ in Sacrificio hujus testimonii offerenda sunt, panis, aqua & vinum. Panis, qui in Corpus Domini consecratur, absque fermento alterius infectionis debet esse mundissimus. Ex quibus verbis perspicuum est, panem dumtaxat Azymum, non fermentatum, tempore *Alcuini*, hoc est, octavo Ecclesiæ sæculo, ad Aram adhibitum fuisse ab Ecclesia Romana. Verum, celebrem istam controversiam de materia Sacrificii Eucharistici, utrum videlicet perpetuus fuerit solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus, sicut contendit doctissimus *Mabillonius* in Disquisitione de pane Eucharistico, vel utrum solius Azymi panis in Ecclesia Latina usus a tempore tantum Schismatis *Photii* adhiberi cœperit, ut docet *Sirmondus* in suo de *Azymis* Opusculo, hanc, inquam, celebrem controversiam opportunius expendemus in Colloquiis in Historiam noni Ecclesiæ sæculi, quo cœpit Schisma *Photianum*. Satis hic observasse sufficiat, Christianos, qui sæculis septimo & octavo vixerunt, firmiter credidisse, Missam esse verum & proprie dictum Sacrificium incruentum, in quo non alia offertur victima, quam *Christus Dominus*, & ad illud divinum peragendum Sacrificium Sacerdotes id temporis usos fuisse Altaribus mobilibus, editis, & cavis, de quibus legendus est *Mabillonius* in Præfatione sæculi II. Benedictini, quod est Ecclesiæ septimum, ubi etiam observat, solemne etiam fuisse per hæc duo sæcula, septimum & octavum, laicis sacram communionem manu recipere, & sub utraque specie communicare, idque colligit ex Actis Sanctæ *Odilæ* Abbatissæ, quæ morti proxima cum *Calice*, in quo *Dominicum Corpus & Sanguis* habebatur, sibi adferri præcepisset, propriis manibus eum accipiendo, sancta communionem participata, omnibus cernentibus, animam reddidit. Sed hunc antiquum usum, qui meram spectat disciplinam, & ex quo multa nascebantur incommoda & pericula, justis de causis postea sustulit Ecclesia.*

E 3

(a) „ Omit-

(a) „Omittendum minime duco luculentum testimonium fidei Ecclesie Græcæ circa dogma de Eucharistia, quod erui e libello Michaelis Syncelli Hierosolymitani de *Orthodoxa fide* vulgato a Montfaucou Biblioth. Coislinae pag. 90. Vivebat autem Michael tempore Ludovici Pii sub Theophilo Græcorum Imperatore, en ejus verba: *Accedo ad intemerata mysteria, credens illa vere esse Corpus & Sanguinem Dei verbi pro nobis incarnati, qui dedit ipsa fidelibus in cibum & potum, in remissionem peccatorum.* Luculentum hoc de veritate Eucharistie testimonium plurimum valet ad demonstrandum Græcos in eo fidei articulo idem sensitse, quod hodie tenet Ecclesia Romana, eo etiam tempore, quo ab eadem Ecclesia abalienari incipiebant.

Secundo, inficiantur Hæretici hujus temporis *Confirmationem*, quæ confertur per impositionem manuum Episcopi, esse verum novæ legis Sacramentum, & per eam dari Spiritum Sanctum; insuper usum Confessionis Sacramentalis admittunt. At sæculis Ecclesie septimo & octavo Episcopi per manuum impositionem fideles confirmabant, & Sacramentalis Confessio erat in usu, eaque ad Sacrosanctam Eucharistiam necessario præmitti debebat. De Sacramento Confirmationis luculentum exemplum profert Venerabilis Beda in Vita Sancti Gubberti soluta oratione composita Capp. 29. & 32. sed præsertim in Epistola ad Egbertum, ubi hæc habet: *Si autem aliquid utilitatis fidelibus conferre manus impositionem, qua Spiritus Sanctus accipitur, credimus, constat e contrario, quod hæc ipsa utilitas eis, quibus impositio defuerit, abest.* Confessionis autem Sacramentalis usum, ac necessitatem diserte adstruit Alcuinus, Præceptor Caroli Magni, in Epistola, quæ, juxta editionem Chesniamam, ordine est septuagesima prima directa ad quosdam Laicos in Provincia Gothorum, qui peccata sua sacerdotibus confiteri recusabant. Sic autem in prædicta Epistola scribit Alcuinus: *Dicitur vero, neminem ex laicis suam vellet Confessionem Sacerdotibus dare, quos a Domino Christo cum Sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus.* Deinde, variis argumentis & necessitatem Confessionis in peccatore, & facultatem absolvendi in Sacerdote probat Alcuinus, & ex comparatione trium Mortuorum, quos Dominus suscitavit, tria distinguit peccatorum genera, quæ modo quotidie divina confitentibus suscitare solet gratia. Alii quippe, inquit, in corde peccant, alii opere, alii ex consuetudine, ac demum ita concludit: *Hæc cogitate, charissimi fratres, & in qualicumque harum trium mortium generibus, si quis jaceat, citius ad Confessionem probatissima medicamenta confugiat, salutifero poenitentiae se abluat medicamine, ut non ad judicium damnationis, sed ad salutem sanctificationis communicet Corpore, & Sanguine Domini Nostri Jesu Christi.* Paucis vero interjectis, hæc subjungit: *Sequitur vestigia Sanctorum Patrum, & nolite in Catholica Fidei Religionem novas inducere sectas. Cavete vo-*

bis venenosum erraticæ invocationis fermentum, sed in sinceritate, & veritate mundissimos sacre Fidei comedite panes. Extat insuper, ad probandum Confessionis Sacramentalis usum octavo Ecclesie sæculo viguisse, insigne monumentum peritum ex Actione prima Concilii Romani sub Zacharia Romano Pontifice celebrati anno 744. ubi de præsumptione Aldeberti hæretici legitur, hoc maximum ejus scelus, & blasphemiam contra Deum fuisse, quod *venienti populo, & prostrato ante pedes ejus, & cupienti confiteri peccata sua, dicebat: Scio omnia peccata vestra, quia mihi cognita sunt occulte vestra; ideoque opus non est confiteri ea. Securi ergo, & absoluti de peccatis vestris præteritis, revertimini ad domos vestras cum pace.* Quæ verba manifesto indicant, moris tum temporis fuisse, ut qui Sacerdotibus peccata sua in aurem revelare volebant, prostrati ante pedes Confessarii id præstarent. Plura super hac re legis apud doctissimum Mabillonium in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesie octavum, ubi de Confessione Sacramentali, quæ ea ætate fiebat in extremis, ante confirmationem, ante peregrinationem, ante Monasticæ vitæ institutum, ante militum initiationem, ante pugnam, in Festis anni præcipuis, de Confessione Sacerdotum, Monachorum, & sanctimonialium perdocte, & eleganter differit.

Tertio, Hæretici nostri temporis Status Monastici, & Poenitentia sunt osores. At sæculis Ecclesie septimo, & octavo Status Monasticus in maximo honore habebatur, ut videre est apud sæpius laudatum Mabillonium in Præfationibus sæculi II. & III. Benedictini, & in Actis Sanctorum Monachorum, quæ in his duobus sæculis Benedictinis refert idem Clarissimus Author. Videbat etiam hisce sæculis poenitentia publica, cujus conservationi diligenter invigilabant Pastores. Hinc Patres Concilii Cloveshovienfis octavo sæculo celebrati, graviter conquesti sunt de poenitentia publicæ redemptione, quæ a quibusdam fiebat per elemosynas, & Missas. Patres etiam Cabilonensis ac Remensis Synodorum multum improbarunt redemptionem, seu remissionem, & publicæ poenitentia relaxationem, quæ nonnullis indulgebatur propter laborem peregrinationum Romanæ, Turonumve, & alia quedam loca sub prætextu orationis, ut loquuntur Patres Cabilonenses. Qua de re legendus est Joannes Morinus Congregationis Oratorii Presbyter in libris, quos edidit, de Poenitentia.

(a) „De auriculari confessione afferre juvat testimonium ex capitulari secundo Theodulfi Aurianensis vulgato a Baluzio Miscell. tom. VII. *Capitalia & mortalia crimina publice defendenda sunt secundum Canonem & Sanctorum Patrum institutionem; sed & secreta satisfactione solvi mortalia crimina non negamus, mutata tamen prius animi intentione.* Et inferius: *Si autem occultum sit, occulte similiter (Poenitentiaris) agat, sicut superius insertum est: & alibi in eodem capitulari: quod si occulte actum est,*

& occulte ad Sacerdotem venerint & puram confessionem fecerint, occulte poeniteat secundum ætatis modum &c.

Ibi pariter luculentum testimonium exhibetur de sacramento unctionis extremæ, & de discrimine ab unctione, quæ fit in chrismate: *Episcopus non oleum infirmorum, sed Chrisma frontibus omnium baptizatorum & manibus Sacerdotum imponit.* Cur profecto tanta necessitas, ut hoc reservetur Episcopis, nisi hæc unctio plus aliquid intulisset, quam merum Sacramentale?

Quarto, Hæretici nostri temporis Cultum, qui defertur Corporibus, seu Reliquiis Sanctorum damnant, omnemque venerationem adimunt sacris Imaginibus. At, Christiani, qui sæculis septimo, & octavo vixerunt, cultum detulerunt Corporibus, & Reliquiis Sanctorum, quæ, ut ostendit Mabillonius locis mox citatis, e tumulis, in quibus jacebant, tum temporis levati, transferrique coeperunt, quod tamen antehac nunquam, aut saltem raro factitari solebat, sicut colligitur ex Epistola Sancti Gregorii Magni ad Constantiam Augustam, quæ propter eam, quam in honore Sancti Pauli Apostoli in Palatio edificabat Ecclesiam, Caput ejusdem Apostoli, aut aliud quid de corpore ipsius ad se transmitti petierat; respondit Sanctus Gregorius, id sibi non licere, relatis variis prodigiis ad tumulos Sanctorum Petri, & Pauli, ac Laurentii factis adversus eos, qui humum eorum sepulchris contiguam efoderunt. Tum subdit: *Cognoscat autem tranquillissima Domina, quia Romanis consuetudo non est, quando Sanctorum Reliquias donant, sed tantum in Pixide brandeum (seu linteum) mittitur, atque ad Sanctorum Corpora ponitur; quod levatum, in Ecclesia, quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur, & tanta per hos ibidem virtutes sunt, ac si illuc specialiter eorum Corpora deferantur.* Et infra ait: *in Romanis namque, vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est, ut que sacri legum, si Sanctorum Corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si voluerit, certum est, quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit.* Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui *Ossa Sanctorum levare se asserunt, vehementer miramur, & vix credimus.* Quibus verbis manifestum est, Sancti Gregorii Magni Pontificatu nefas fuisse in Occidente Sanctorum Corpora contingere, aut e tumulis levare, sed Reliquiarum loco brandea (seu linteum) fuisse transmissa. Verum, per sæcula septimum, & octavum Christiani, ut majorem Corporibus Sanctorum venerationem conciliarent, illa e tumulis, in quibus erant recondita, levare, atque transferre coeperunt. Legitur etiam in libello de Metensibus Episcopis, quem Paulus Diaconus scripsit, Chrod-gangum Metensem Episcopum circa an. DCCLIV. obtinuisse a Paulo Romano Pontifice tria Corpora Sanctorum Martyrum, scilicet Gorgonii, Naborii, & Nazarii, quæ inter Monasteria divisa fidelium pietati ac venerationi exhibuit. Magna cum solemnitate septimo Ec-

clesie sæculo celebrari in Occidente coeperunt festivitates Circumcisionis Christi Domini, Epiphaniæ, Annunciationis, Purificationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis. Celebris quoque tum erat festivitas sub invocatione Mariæ Virginis, & omnium Sanctorum Martyrum ob dedicationem Templi Romæ dicti Pantheon a Bonifacio IV. Pontifice Maximo factam anno DCXIII. Cui festivitati postea successit dies festus Kalendis Nov. omnibus Sanctis sacer. Doctissimus Cardinalis Bona in libro de divina Psalmodia cap. 12. asserit, in Monasterio Cryptæ Ferratæ servari Manuscriptos Codices Græcos Sancti Joannis Damasceni, qui sæculo octavo floruit, ubi Officia Virginis Dei-paræ exarata, & in omnes anni menses digesta sunt. Quo non solum roboratur Historia Vincentii Bellouacensis, qui Speculo Historico lib. 17. c. 107. scribit, Sanctum Joannem Damascenum perfolvisse quotidie Horas Canonicas Beatæ Virginis Dei-paræ, sed etiam palam ostenditur, jam octavo Ecclesie sæculo modum colendi, & invocandi Sanctos, præcipue Mariam Virginem, fuisse præfixum usque receptum. Quod attinet ad Cultum, quem Catholici deferunt sacris Imaginibus, & quem Hæretici tantopere averfantur, certum est Catholicorum doctrinam de exhibendo Cultu sacris Imaginibus fuisse a Sanctis Patribus approbatam, stabilitam ac definitam esse octavo Ecclesie sæculo, solempni Decreto septimæ Synodi Generalis, quæ est Nicæna secunda contra Hæreticos Iconomachos congregata, ut in superioribus Colloquiis commonstravimus, adeoque Hæreticos, qui hunc extinctum Iconoclastarum errorem postremis hisce temporibus renovarunt, ab avita Catholicorum doctrina descivisse.

Denique, mortuos precibus ac suffragiis vivorum apud Deum juvari, & a piacularibus poenis, quibus in Purgatorio torquentur, liberari posse (quod pertinaciter negant Hæretici) aperte demonstrant Societates illæ, quæ octavo sæculo in commendationem Mortuorum institutæ sunt, & perpetua Anniversaria, quæ ad eorum animas poenis eximendas frequentari coeperunt. De ejusmodi Societatibus insignis extat locus apud Venerabilem Bedam, qui pro mercede Vitæ Sancti Gubberti Cantuariensis Episcopi a se conscriptæ hæc rogat in Prologo ad Eadfridum Episcopum Lindisfarnensem. *Me defuncto pro redemptione anime mee, quasi pro familiaris ac vernaculi vestri, orare, & Missas facere, & nomen meum inter vestra scribere dignemini.* Plures etiam ea de re leguntur Epistolæ Sancti Bonifacii Episcopi Moguntini & Martyris, ut videre est apud Mabillonium in Præfatione primæ partis sæculi III. Benedictini, quod est Ecclesie octavum. De Spiritu Sancti a Patre, Filioque processionem Græcos inter & Latinos octavo sæculo mota est Controversia, quam in Concilio Francofordiensi, & Gentiliacensi diremerunt Latini definites juxta Scripturæ Sacræ & Sanctorum Patrum doctrinam, Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere. Sed de doctrina, quam uno consensu, aperte, frequenter & perseveranter sæculis

Ecclesie septimo, & octavo tenuerunt fideles, & quam etiamnum constanter profiteretur Ecclesia Catholica, hæc breviter retulisse sufficiat.

D. Hæc antiqua, & perpetua doctrina Ecclesie Catholice consensio unum mihi, instar omnium, suppeditat argumentum ad tela Hæreticorum eludenda, Sophismata diluenda, & Ecclesie Catholice causam feliciter propugnandam. Habet siquidem Ecclesia Catholica, ut jam in præcedentibus Colloquiis luculenter ostendisti, venerandos primævæ doctrinæ, & fidei suæ testes. At Hæretici male sibi conscii in ipsam antiquitatem temere insurgunt, Sanctos Patres lacerant, conculcant, cane pejus, & angue traducunt odio, atque antiquorum Hæresiarum, quibus, velut suis parentibus, gloriantur, errores, indeficienti Ecclesie iudicio prædamnatos, ab orco revocant, atque obfirmatis animis tuentur. Unde sese Novatores produunt, & Fidei Catholice desertores, quia, sicut hesternæ die legebam apud Tertullianum in lib. de præscript. Hæreticorum, capite vigesimo; *Constat omnem doctrinam, que cum Ecclesia Apostolicis Matricibus, & Originalibus fidei conspirat, veritati deputandam, sine dubio tenentem quod Ecclesie ab Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, que sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei.* Item lib. 4. contra Marcionem, cap. 5. ait Tertullianus: *In summa, si constat id verius quod prius, id prius quod & ab initio, id ab initio quod ab Apostolis; pariter ubique constabit, id esse ab Apostolis traditum, quod apud Ecclesias Apostolorum fuerit sacro-sanctum.* Profecto, quantumvis se torqueant, & in omne latus sese vertant Hæretici, nunquam ostendere poterunt, doctrinam suam cum Ecclesiis Apostolicis Matricibus, & Originalibus fidei conspirare, cum ex adverso Catholici non dubitent, doctrinam suam ab Apostolis esse profectam, quia in Ecclesia Romana, quæ est Apostolica, & omnium Ecclesiarum Mater, fuit ab ipsis Apostolorum temporibus ad nos usque, perpetua sæculorum serie, constanter tradita & inviolabiliter custodita. Id de Doctrina Ecclesie Catholice probe perspectum habeo. Quocirca, expendamus nunc, si placet, quænam sæculis septimo, & octavo vigerit Ecclesie Disciplina?

M. Sub finem septimi Ecclesie sæculi Bella Civilia, quæ in Galliis conflagrarunt, Disciplinam Ecclesiasticam non minus, quam Rempublicam afflixere. Nam teste *Sancto Bonifacio* in suis ad Zachariam Papam litteris, nulla tum in Galliis celebrabantur Concilia, Archiepiscopi nulli, Ecclesiarum jura pessumdata, & conculcata, Bona Ecclesiastica a laicis usurpata, Metropoleon ordo turbatus, tantisque universa Galliarum Ecclesia malis sequenti etiam sæculo, seu Ecclesie octavo, fuit oppressa, ut *Hadrianus* Papa Carolum Magnum anno DCCLXXIV. Romæ agentem, monere coactus fuerit de aliquo hujusmodi malis remedio afferendo, quod quidem facturum se ultro promisit religiosissimus Rex; & revera, ut mox ostendemus, omnem suam ad id induftriam

adhibuit. Tunc desperatissimum collapsæ Disciplina in Ecclesia Gallicana statum sic describit *Sanctus Bonifacius* in suis ad Zachariam Summum Pontificem litteris: *Franci, ut Seniores dicunt, plusquam per tempus octoginta annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum habuerunt, nec Ecclesie Canonica jura alicubi fundabant vel renovabant. Modo autem maxima ex parte per Civitates Episcopales Sedes tradite sunt laicis cupidis ad possidendum, vel adulteratis Clericis, Scortatoribus, & Publicanis seculariter ad persfruendum.* Huic sædæ Disciplinæ Ecclesiasticæ in Galliis prolapsioni occasionem initiumque dedit *Carolus Martellus* Major Domus Regiæ, & Dux Francorum, qui Episcopatum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum redditus laicis nobilibus concessit, qui ad Saracenos propulsandos militiæ nomen dederant, & in eo Bello suas pene omnes facultates exhauerant. Serpenti tam gravi morbo commodius mederi haud potuere Summi Pontifices *Gregorius II.* *Gregorius III.* & *Zacharias*, quam Vicariatu Apostolico & legatione demandata *Sancto Bonifacio* per Galliam & Germaniam, ut testatur *Hincmarus* Rhemensis Episcopus Epistola nona, ubi hæc habet: *Gregorius II. & III. Bonifacium Legatum Apostolicæ Sedis ad reformandam Christianitatis Religionem, primo Presbyterum, postea vero Episcopum ordinatum, direxerunt. Cui per annos viginti quinque in eadem predicatione sine sede Cardinali laboranti, Prefatorum successor Zacharias Papa formavit ad locum. Apostolici ergo Legati munia, missiones, & potestatem omnem Vicarii Apostolici per omnes Gallias, Germaniæque Ecclesias explicuit Sanctus Bonifacius, Sedi ipse Ecclesie defexus nulli, donec aliquanto post, seu anno DCCLII. Zacharias Papa eum Ecclesie Moguntinæ Metropolitanam instituit, cui & primatus affixit dignitatem, quæ usque in hodiernum diem inter Germaniæ Præsules perseverat in Episcopis Moguntinis. At Primatus, quem Sanctus Bonifacius in Ecclesiis Gallicanis obtinuit, personale dumtaxat fuit Privilegium, & ad tempus collatum, nec transivit ad ejus successores. Multa Sanctus Bonifacius ad refarciendam collapsam Ecclesie Disciplinam ex Episcopis Gallias, & Germaniæ habuit Concilia, quorum nonnulla in editionibus Conciliorum extant. Ecclesiis Rotomagensi, Rhemensi, & Senonensi Metropolitanas, quibus jam diu privatae erant, instituit, illisque Pallium a Summo Pontifice impetravit, ut constat ex Epistolis Bonifacii, & Zachariæ, necnon ex *Historia Flodoardi* lib. 2. cap. 16. Verum, quamvis Sanctus Bonifacius ad Ecclesiasticæ Disciplinæ jamdudum in Galliis collapsæ reparationem egregiam operam navaverit, nihilofecius cum plurimi Episcopatus a laicis tenerentur, opus fuit auctoritate Principum, ut iis a Beneficiorum injusta possessione pulsus, legitimi in eorum locum sufficerentur Antistites. Id testatur *Hugo Flaviniacensis Abbas* in *Chronico Virdunensi*, ubi de *Carolo Magno* Romæ existente hæc habet; *Licet in restaurationem Ecclesiarum aliquando studiose desudavit, tamen tanta erat mali moles, ut usque ad**

ad *Caroli Magni* tempora malitiæ hujus duraverit perniciosæ veteriosa, dum quod male quisque, & indebite usurpaverat, penes se retinere satagebat. Unde, cum clamores Ecclesiarum ad Sedem referrentur Apostolicam, & ab ea requirerentur justitiam, *Adrianus* Pontifex Carolum Magnum ante Corpus *Beati Petri* conveniens, ut omnia corrigerentur, obtinuit. Refert postea Epistolam, quam *Adrianus* Papa dedit ad *Bertherium* Episcopum Viennensem, in qua hæc scribit Sanctus Pontifex: *Dilectus, & illustris ac religiosus filius noster Carolus Rex, & Patricius Romanorum Romam venit, & Pascha Domini apud Sanctum Petrum nobiscum egit, ubi inter alia monuimus eum de Metropolitanorum honore, & de Civitatibus, quæ laicis hominibus tradite erant, & quia Episcopalis dignitas fere per octoginta annos a Francis esset conculcata.* Subdit denique *Adrianus* Papa, Carolum, cum hæc & his familia audisset, promississe quod omnia ad emendationem suam venirent, seque omnibus Archiepiscopis, & Episcopis scripsisse, ut, sicut antiquis privilegiis singulae Metropolitanæ Urbes fundatae sunt, ita maneant, ut habeat unaquæque Metropolis Civitates sibi subditas, quas *Beatus Leo*, & alii Prædecessores & Successores ipsius post *Chalcedonensem Synodum* singulis Metropolitanis distinxit. Nec præterea ulla Metropolis præjudicium patiatur, si alicui suffraganeorum aut nos, aut Prædecessores nostri, roganibus piis Francorum Ducibus, Pallium largiti sumus. Nec debet Ecclesia ullum damnum sui Ordinis inde sustinere, si per LX. aut LXX. aut LXXX. & eo amplius annos, incuria quorumcumque Præsulum & vastatione Barbarorum dignitatem antiquam, & Romanorum Antistitem firmitate roboratam perdidit & amisit. Quando innumeris pene annis Spiritu Dei disponente usa fuerit. Auctoritate igitur *Beati Petri Apostolorum Principis* singulis Metropolitanis antiquo more potestatem reddidimus. Hoc pacto cura hujus vigilantissimi Summi Pontificis, regnante *Carolo Magno*, restaurari cœpit in Galliis Ecclesiastica Disciplina, quæ tantum non extincta videbatur.

D. Quænam potissimum sæculis Ecclesie septimo & octavo circa Episcopos, Presbyteros, & Clericos fuit observata Disciplina?

M. Nulli sæculis Ecclesie septimo & octavo creabantur Episcopatus, nisi de Metropolitanis, Synodi Provincialis, & Papæ consensu, sicut multis exemplis ostendit doctissimus *Ludovicus Thomassinus* Tomo 1. Disciplinæ Ecclesiasticæ cap. 14. Sanctum Bonifacium octavo Ecclesie sæculo *Gregorius II.* Papa Episcopum ordinavit, ut Infideles, qui erant in Germania, Christianæ Fidei luce perfunderet. Accepit etiam idem Bonifacius a *Gregorio III.* Pallium, nomen Archiepiscopi, & potestatem constituendi Episcopos in majoribus locis, ne fordesceret dignitas, quæ fidelibus venerabilis esse debet. *Præcepimus*, inquit *Gregorius III.* in Epistola ad Bonifacium, ut, juxta Canonum statuta, ubi multitudo excrevit fidelium, & ex vigore Apostolicæ Sedis debeas ordinare Episcopos, pia tamen contemplatione, ut non

vilescat dignitas Episcopalis. Scripsit idem Pontifex ad Germaniæ Populos, Proceresque, ut his honorem dependerent Episcopis tanquam auctoritate Apostolica constitutis: Episcopos vel Presbyteros, quos ipse, (idest Bonifacius) ordinavit per Apostolicam sibi datam auctoritatem, in Ecclesie ministerio recipiatis. Ea potestate donatus Bonifacius, & in Bavariam profectus, cum unum ibi tantum a Papa ordinatum Episcopum reperisset, tres alios ordinavit Episcopos, totamque Provinciam, cum Ducis Procerumque consensu, divisit in quatuor Episcopatus, qui sunt *Salisburghensis, Frisingensis, Ratisponensis, & Patavienensis.* Quod *Gregorius III.* sua auctoritate confirmavit data Epistola ad Bonifacium an. DCCLXXIX. Flagitavit idem Bonifacius a *Zacharia* Papa *Gregorii III.* successore, ut confirmaret tres alios Episcopatus novos, quos ipse in Germania erexerat, *Herbipolensem, Buraburgensem & Erpbesfustensem*, quos rescripto suo confirmavit Pontifex. Mos erat, ut Episcopi a Comprovincialibus Episcopis eligerentur, eorumque electiones a Metropolitanis confirmarentur prævio examine de scientia & moribus electorum, ut constat ex Canone secundo septimæ Synodi Generalis. Coadjutores & Successores Episcopis dari absque gravi causa & evidenti Ecclesie bono non patiebatur Ecclesiæ Disciplina. Translationes Episcoporum ab una ad aliam Ecclesiam non fiebant nisi propter Ecclesie utilitatem, immo migrationes Episcoporum, & Clericorum de Civitate in Civitatem, absolute veruit *Carolus Magnus* in *Capitulari Aquigranensi* edito anno septingentesimo octogesimo nono. Antiqua Ecclesie Disciplina de residentia Episcoporum sæculis septimo & octavo multis Conciliorum Canonibus fuit confirmata. Nefas erat Clericis judicia publica, seu sæcularia absque Episcopi jussu petere, quod approbavit *Carolus Magnus* in *Capitulari Aquigranensi*, ubi edixit, ut, si Clerici inter se aliquod negotium habuerint, a suo Episcopo judicentur, non a secularibus. Bonorum Ecclesie administratio erat penes Episcopum, omnia tamen bona ab Episcopis acquisita in jus Ecclesie cedebant, juxta Canonem quadragesimum primum conditum in Concilio *Francfordiensi.* Ecclesie redditus & oblationes in quatuor partes, secundum priscum morem, dividere tenebantur Episcopi, ita ut unam partem sibi retinerent; alteram Clericis pro suorum Officiorum sedulitate distribuerent, tertiam pauperibus & peregrinis erogarent; quartam denique Ecclesiasticis Fabricis reservarent. Curatorum, seu Parochiarum institutio penes solum Episcopum erat, quamvis jure patronatus etiam a laicis nominari, vel præsentari possent. Non minus sæculis septimo, & octavo, quam in præcedentibus prohibita fuit Beneficiorum pluralitas: excusari tamen jure merito debent *Hugo* *Caroli Martelli* nepos, qui plures Episcopatus, & Abbatis octavo sæculo administravit, & *Alcuinus*, cui *Carolus Magnus* Abbatis Sancti Martini *Turonensis*, & *S. Lupi Trecentis*, necnon *Abbatiam*